




SUPREMUM
SIGNATURAE APOSTOLICAE
TRIBUNAL

PALAZZO DELLA CANCELLERIA
00120 CITTÀ DEL VATICANO



Prot. N. 37399/05 CA
MATRITEN.
Suppressionis Associationis
(D.na Rosa Barranco Rio – Pontificium Consilium pro Laicis)

DECRETUM DEFINITIVUM

IN NOMINE DOMINI. AMEN

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno IV, die 9 maii 2008, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Augustino Card. Vallini, *Praefecto*, Zenone Card. Grochowski et Sergio Card. Sebastiani, Exc.misque ac Rev.mis D.nis Henrico Mussinghoff et Iosepho Versaldi, *Ponente*, intervenientibus Rev.do Iesu Miñambres, utpote Recurrentis Patrono, Cl.ma Martha Wegan, utpote Patrona Pontificii Consilii pro Laicis, et Rev.mo Iosepho Punderson, Promotore Iustitiae deputato, in causa de qua supra, hoc definitivum tulit decretum.

I. FACTI SPECIES

1. Consociatio christifidelium, *Real y Primitiva Asociación de Santa Rita da Casia* vulgo nuncupata, anno 1834 in urbe Matritensi orta est ad devotionem fovendam erga S. Ritam de Cascia eiusque cultum publicum promovendum. Eadem Consociatio anno 1901 pretiosa 23 aulaea (*tapices*) per pium testamentum acquisivit eaque anno 1921 apud Institutum *Real Fábrica de Tapices* deposuit.

Ob archivum dioecesanum Matritense perdurante bello civili hispanico (1936-39)


deperditum, desunt documenta originalia erectionis Consociationis S. Ritae, quae tamen civilem approbationem a Regina Isabella II anno 1858 obtinuit. Curia Matritensis, instante ipsa Consociatione, anno 1991 scripto attestata est Consociationem S. Ritae de Cascia, apud ecclesiam realem de Calatravas in Madrid canonice erectam ac personalitate iuridica canonica praeditam, activitatem religiosam peragere.

2. Progrediente tempore Consociatio nova statuta paravit, quae die 3 iunii 1950 ab Episcopo Matritensi probata sunt, sed quorum textus deest. Novo Codice Iuris Canonici anno 1983 promulgato, Consociatio nova statuta paravit eaque litteris 26 aprilis 1992 ut approbarentur ad Archiepiscopum Matritensem transmisit, qui autem aliqua emendamenta expostulavit. Novissima editio statutorum dein parata est, quam ipse Archiepiscopus decreto diei 13 maii 1993 adprobavit, quibus in statutis Consociatio S. Ritae de Cascia definita est consociatio privata fidelium personalitate canonica praedita (art. 1) atque bona temporalia a Consociatione tunc iam acquisita habentur vero bona ecclesiastica (art.26 a), in casu extinctionis societatis ad Archidioecesim Matritensem devolvenda.

Die 8 iulii 1994 Consociatio S. Ritae de Cascia congressum generalem (*Junta General*) convocavit, in quo omnia octo membra adstantia de novis statutis ab Episcopo adprobatis certiora facta sunt eaque laudaverunt; dein nova Gubernatio Consociationis (*Junta directiva*) electa est: Praeses fuit Dolores Río Ortuna; Secretaria, Isabel Martina Manjas. In eodem Congressu unanimiter statuta est depositio 23 aulaeorum a *Real Fábrica de Tapices* apud Archidioecesim Matritensem, salva semper proprietate Consociationis S. Ritae, per contractum inter Consociationem et Archidioecesim faciendum, eo modo ut Archidioecesis summam Instituto *Real Fábrica* pro aulaeorum conservatione debitam solveret et dein ea in apto loco exhibere posset.

Anno 1997 alter Congressus generalis Consociationis S. Ritae habitus est, in quo octo membra adfuerunt (absente Praeside), quae iterum antecedentem decisionem transferendi 23 aulaea ad Archidioecesim Matritensem, nondum executioni mandatam, confirmaverunt una cum petitione transferendi imaginem S. Ritae in Cathedralem Matritensem, maioris cultus causa. Sed neque haec proposita executioni mandata sunt, immo Consociatio dein per annos siluit.

3. Rev.mus Vicarius generalis Matritensis per edictum in notituario archidioecesano diei 18 novembris 1999 Praesidem convocavit ut intra decem dies de Consociatione S. Ritae rationem redderet sub poena eius suppressionis. Nulla responsione a Consociatione data, tandem anno 2000 Curia Matritensis certior facta est novam Praesidem




nominatam esse D.nam Rosam Mariam Barranco Río, necnon novum Consilium directivum constitutum. In colloquio mense iulio eiusdem anni inter nonnulla membra Consociationis S. Ritae et officiales Curiae Matritensis habito, illa membra certiora facta sunt de necessitate observandi normas canonicas, praesertim de obligatione rationem reddendi Ordinario loci circa administrationem bonorum ecclesiasticorum.

Die vero 22 ianuarii 2001 Consociatio inscripta est apud Ministerium Iustitiae Hispaniae in *Registro de Entidades Religiosas Católicas* ad acquirendam personalitatem iuridicam civilem et die 19 martii eiusdem anni Praeses Consociationis, una cum tribus consodalibus, inconsulto Archiepiscopo Matritensi, novam Fundationem mere civilem *Fundación Santa Rita de Casia* fundavit, cuius finis primus erat usus atque administratio 23 aulaeorum in proprietate Consociationis S. Ritae de Cascia. Die 3 iulii 2002 Praeses Maria R. Barranco Río, nomine Fundationis S. Ritae, iterum inconsulto Archiepiscopo Matritensi, cum Fundatione *Real Fábrica de Tapices* contractum stipulavit, iuxta quem ei commisit munus collocandi aulaea, ita ut proventus adhiberi possent pro solutione summae ob conservationem aulaeorum debitae necnon pro ulteriore eorundem restauratione.

4. Habita notitia de nova Fundatione et de novo contractu, Rev.mus Vicarius generalis Matritensis litteris diei 12 ianuarii 2004 Praesidem invitavit ut rationem redderet circa illas decisiones sine licentia Ordinarii factas. Praeses die 27 februarii eiusdem anni contractum exhibuit et rationem reddidit tantummodo de expensis ordinariis antecedentis anni, nihil e contra de 23 aulaeis; immo in dubium vocavit competentiam Curiae circa illa bona, quae non ecclesiastica sed privata Praeses censebat, ab ipsa libere administranda, non obstantibus contrariis admonitionibus Vicarii generalis.

Archiepiscopus Matritensis, Em.mus Card. Rouco Varela, viso periculo amissionis bonorum ecclesiasticorum, gravis damni disciplinae ecclesiasticae necnon omissionis finium ipsius Consociationis S. Ritae, suo decreto 27 maii 2004 (iuxta can. 326 §1 CIC) eandem Consociationem suppressit, contractum inter Fundationem S. Ritae et Fundationem *Real Fábrica de Tapices* nullum declaravit (iuxta cann. 1281 § 1, 1295, 1297) atque bona Consociationis (23 aulaea) ad Archidioecesim destinavit, iuxta cann. 123; 326 § 2 CIC et art. 32 statutorum Consociationis S. Ritae.

5. Contra hoc decretum suppressionis ad Praesidem die 18 iunii 2004 perventum, nulla interposita remonstracione apud Auctorem eiusdem decreti (uti praescribit can. 1734 §§ 1-2), Praeses Rosa M. Barranco Río litteris diei 28 iunii 2004 recursum exhibuit apud Pontificium Consilium pro Laicis. Auditis partibus, Pontificium Consilium pro Laicis



decreto diei 10 maii 2005 decisionem Archiepiscopi Matritensis confirmavit atque Praesidem exhortatum est ut cum eodem Archiepiscopo cooperaretur in decreto exsequendo.

Praeses, e contra, die 27 maii 2005 a decisione Pontificii Consilii ad H.S.T. provocavit, quod in Congressu diei 19 septembris 2007 decrevit recursum ad disceptationem coram Iudicibus non esse admittendum utpote carentem quocumque fundamento. Praeses non acquievit, sed die 19 octobris 2007 contra decisionem Congressus recursum interposuit ad Collegium Iudicum H.S.T., cuius nunc est sequenti dubio respondere: **An decretum Congressus, die 19 septembris 2007 latum, in casu, reformandum sit.**


II. IN IURE

6. Relate ad duas quaestiones in hac controversia implicatas, nempe de natura bonorum Consociationis S. Ritae de Cascia et de legitimitate suppressionis eiusdem Consociationis ex parte Archiepiscopi Matritensis, sequentes normae canonicae prae oculis habendae sunt.

7. Iuxta Codicem Iuris canonici anno 1917 promulgatum, Consociationes reguntur normis de quibus in titulis XVIII et XIX libri II, ex quibus elucet: a) associationes distinctas a religionibus vel aliis societatibus ab Ecclesia constitui posse ad promovendam vitam christianam vel ad exercenda opera caritatis vel ad incrementum publici cultus (can. 685); b) nullam in Ecclesia recognosci associationem sine erectione vel saltem approbatione legitimae Auctoritatis ecclesiasticae (can. 686 § 1); c) bona temporalia, nisi aliud expresse cautum sit, ipsam associationem possidere posse et administrare sub auctoritate Ordinarii loci, cui rationem administrationis saltem quotannis reddere debet (can. 691 § 1).

Quae associationes fidelium nomine veniunt *piarum unionum*, quae *sodaliam* dicuntur si ad modum organici corporis sint constitutae; sodalia appellantur *confraternitates* si erecta sint in incrementum publici cultus (can. 707 §§ 1-2). Confraternitates autem nonnisi per formale erectionis decretum constitui possunt ex parte legitimae Auctoritatis ecclesiasticae (can. 708) et earum bona temporalia sunt *bona ecclesiastica* (cf. can. 1497 § 1 una cum can. 687).

In novo Codice anno 1983 promulgato diversa criteria identitatis consociationum in Ecclesia habentur iuxta canones tituli V libri II, in quibus invenitur distinctio inter consociationes fidelium publicas (si ab Auctoritate ecclesiastica eriguntur, can. 301) et privatas (si tantum a christifidelibus constituuntur, can. 299), quae omnes subsunt




vigilantiae Auctoritatis ecclesiasticae competentis (can. 305). Bona temporalia consociationum publicarum sunt bona ecclesiastica et reguntur canonibus in novo Codice praevisis; bona consociationum privatarum reguntur propriis statutis, nisi expresse aliud caveatur (can. 1257), sed Auctoritas ecclesiastica competens ius habet vigilandi ut bona in fines associationis adhibeantur (can. 325 § 1).

8. Relate ad alteram quaestionem, nempe de suppressione fidelium consociationis, quae in casu a partibus privata reputatur, can. 326 vigentis Codicis hanc potestatem Auctoritati ecclesiasticae competenti praebet “si eius actio in grave damnum cedit doctrinae vel disciplinae ecclesiasticae, aut scandalum est fidelium”; in casu autem extinctionis huiusmodi consociationis, destinatio bonorum ad normam statutorum determinanda est (can. 123).

Contra decretum suppressionis potest consociatio recursum praebere Auctoritati superiori sed tantummodo post petitionem scriptam revocationis vel emendationis apud auctorem decreti (can. 1734 § 1). Ulterior recursus contra decisionem Dicasterii Curiae Romanae, iuxta tenorem art. 123 § 1 Const. Ap. *Pastor Bonus*, fieri potest ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, quod videt de casu iuxta legem propriam, nempe secundum *Normas Speciales* H.S.T. (praesertim art.116).

III. IN FACTO

9. In primis clarificanda est natura iuridica Consociationis S. Ritae de Cascia, in sec. XIX ortae et a regimine Codicis iuris canonici anni 1917 ad vigentem Codicem anni 1983 transactae. Sine dubio iuxta Codicem 1917 haec Consociatio suam personalitatem iuridicam habebat uti Confraternitas seu associatio ecclesiastica christifidelium ab Auctoritate ecclesiastica in personam moralem erecta, cuius finis promotionem cultus publici S. Ritae respiciebat (can. 707 § 2 CIC 1917) et cuius bona temporalia (23 aulaea) bona ecclesiastica certo consideranda erant (can. 1497 § 1 CIC 1917). Iuxta legislationem Codicis vigentis ab anno 1983, Consociatio S. Ritae de Cascia per se et iuxta cann. 301 et 313 CIC 1983, visis finibus eiusdem Consociationis, uti associatio publica censenda est, cuius bona temporalia, iuxta praescriptum can. 1257 § 1, bona ecclesiastica consideranda sunt. Attamen, considerandum quoque est eandem Consociationem nova statuta habuisse, decreto Archiepiscopi Matritensis diei 13 maii 1993 approbata, iuxta quae Consociatio facta est privata (art. 1), etsi bona temporalia (23 aulaea) bona ecclesiastica permanserint sub



regimine vigilantiae Auctoritatis ecclesiasticae competentis (art. 26 a).


10. In casu, ergo, iuxta can. 1257 § 2 bona temporalia Consociationis privatae tractanda sunt uti praevisum a statutis, quae in nostro casu illa uti bona ecclesiastica considerant (art. 26 a) eaque in casu extinctionis eiusdem Consociationis ad Archidioecesim Matritensem transferenda statuunt. Sine fundamento videtur ergo petitio partis recurrentis eiusque Patroni considerandi bona Consociationis (23 aulaea) uti bona non ecclesiastica, haud Auctoritati ecclesiasticae subiecta.

Patronus recurrentis negat quoque legitimitatem statutorum ab Archiepiscopo Matritensi decreto diei 14 maii 1993 adprobatorum, quia Congressus generalis mensis iulii 1994, qui statuta vidit atque plausit, tantummodo octo membris constitutus erat. Sed considerandum est statuta parata fuisse ab ipsa Consociatione et approbationi Auctoritati ecclesiasticae competenti submissa, cui soli, servatis iure servandis, pertinebat consociationem fidelium publicam in privatam commutare. Altera ex parte, etiamsi illa statuta valida non fuissent, Consociatio in statu iuridico antecedenti permansisset, sub qua bona sub Auctoritate ecclesiastica competenti erant bona ecclesiastica.

Quapropter acta a Praeside posita legislationi canonicae contraria circa bona Consociationis S. Ritae invalida consideranda sunt. Invalida ergo est cessio administrationis bonorum ecclesiasticorum novae Fundationi mere civili S. Ritae ab ipsa Praeside Consociationis die 19 martii 2001 constitutae ideoque invalidus etiam retinendus est contractus inter istam Fundationem civilem et Fundationem *Real Fábrica de Tapices* diei 3 iulii 2002, pro conservatione, restauratione et collocatione 23 aulaeorum, quibus actibus illa bona ecclesiastica vigilantiae Auctoritatis ecclesiasticae subtrahebantur.

11. Obiectio recurrentis eiusque Patroni iuxta quam illae decisiones necessariae erant ad solvenda debita Consociationis erga *Real Fábrica de Tapices* et ad rectius administranda bona Consociationis, nullam habet vim iuridicam, quia finis non iustificat modum illegitimum procedendi et insuper haud sustineri potest administrationem tantummodo civilem bonorum meliorem esse quam administrationem ecclesiasticam, perpenso quod Consociatio S. Ritae iam personalitatem iuridicam civilem habebat.

Plene conveniendum ergo est cum verbis decreti Pontificii Consilii pro Laicis, ubi scripsit aulaea esse bona ecclesiastica et, ergo, ad stipulandum contractum cum Fundatione *Real Fábrica de Tapices* necessariam fuisse praevidiam et scriptam facultatem Ordinarii loci, quia de actu administrationis extraordinariae certo agebatur (can. 1281 § 1). Haec quoque legimus in decreto Congressus H.S.T. quod negat fundamentum pro partis recurrentis



assertione, iuxta quam bona Consociationis subiecta non fuissent regimini bonorum ecclesiasticorum.

12. Relate ad alteram quaestionem, seu de asserta illegitimitate decreti suppressionis ex parte Archiepiscopi Matritensis ob carentiam causarum a can. 326 § 1 praevisarum, dicendum est, sic stantibus rebus, minime defuisse grave damnum a parte recurrenti disciplinae ecclesiasticae allatum, quia de facto bona ecclesiastica, uti sunt 23 aulaea, modo arbitrario potestati vigilantiae Auctoritatis ecclesiasticae subtrahebantur, quae bona enim iuxta contractum et intentionem Praesidis Consociationis S. Ritae essent bona privata, liberae voluntati novae Foundationis tantummodo subiecta. Et, quia contractus est publici iuris, evidens erat periculum scandali christifidelium ob manifestam indiscipline erga Auctoritatem ecclesiasticam, quae frustra Consociationem admonuit circa illa pericula.

13. Pontificium Consilium pro Laicis, non obstante omissione remonstrationis partis recurrentis ad Auctorem decreti impugnati, decretum suppressionis confirmavit in omnibus partibus et, praeter motivationes stricte iuridicas, adnotavit quoque impossibilitatem ultimis annis Associationis S. Ritae persequendi proprios fines propter carentiam sodalium.


Congressus H.S.T. rite decrevit recursum ad disceptationem coram Collegio Iudicum non esse admittendum, quia sive in procedendo sive in decernendo decretum Archiepiscopi Matritensis, a Pontificio Consilio pro Laicis confirmatum, legitimum considerandum est, et ideo recursus ad H.S.T. manifeste caret quocumque fundamento.

IV. CONCLUSIO

14. Omnibus sive in iure sive in facto aequo rimatis, infrascripti Iudices, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum decreverunt et facto respondent:

NEGATIVE, seu decretum Congressus, die 19 septembris 2007 latum, in casu, non esse reformandum.

Solvatur Rev.do Cl.mae Recurrentis Patrono ex cautione a parte Recurrente in arca H.S.T. deposita summa 1000 € tamquam congruum honorarium; reliqua pars cautionis retineatur pro expensis processualibus. Pars vero resistens suae Cl.mae Patronae congruum



solvat honorarium.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hoc Nostrum definitivum decretum executioni tradant, ad omnes iuris effectus.


Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 9 maii 2008.

(Signati) Augustinus Card. VALLINI, *Praefectus*
Zeno Card. GROCHOLEWSKI
Sergius Card. SEBASTIANI
✠ Henricus MUSSINGHOFF
✠ Iosephus VERSALDI, *Ponens*

Et notificetur.

Die 26 iunii 2008.

CONCORDAT CUM ORIGINALI
die 26 iunii 2008
P. Malecha
Paulus MALECHA
Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis
Moderator Cancellariae

+ 
o. praem.

✠ Franciscus DANEELS, o. praem., *Secretarius*

Paulus Malecha

Paulus MALECHA, *Praepositus Cancellariae*

